



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXXIX. Salentinvs. LVIII. Arch. XLII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

LXXIX. SALENTINVS, LVIII. ARCH.
XLII. ELECTOR.

Salentinus Comes Isenburgicus an. 1567. Coloniensi Insula exornatus, an. 1574. Mitram Paderbornæ alteram capiti imposuit. Utriusque nimirum Ecclesiæ Canonicis summo opere probata est Salentini cura Ecclesiastica simul & domestica, qua thesauros utrosque auxit & multiplicavit. Verùm tametsi auro & meritis dives diceretur Salentinus, his tamen omnibus longè visus est præferre generis sui propaginem: abdicato enim post annum Sedis 10. Electoratu duxit Antoniam Arenbergicam, ne mortis falci penitus succumberet stemma Isenburgicum.

LXXX. GEBHARDVS, LIX. ARCH.
XLIII. ELECTOR.

Gebhardus Truchsessius ab Ottone Episcopo Augustano E. R. C. patruo suo ritè moribus formatus, & statum meliorem eligere doctus, eo profectu visus est instituisse Truchsessiorum Comitum gloriosis vestigiis, ut anno ætatis suæ 30. in Archiepiscopum Coloniae jam fuerit electus, posthabito etiam Ernesto Bavaro Frisingensi simul & Hildesienfi Episcopo. Verùm sefellit plurimum universos malè concepta spes de tanto, ut aiebant, juvene: Gebhardus enim Agnetis Mansfeldicæ illicitis & laqueis adeò est irretitus, ut desertor Ecclesiæ Romanæ factus, clam cum amasia celebrârit nuptias, animo simul retinendi Electoratum Coloniensem. Armatas eum in finem manus Gebhardo adversus quosvis hostium impetus promiserunt Joannes Casimirus Comes Palatinus, Hassiæ Marchio, Comites item de Solm, Nassau & Geroldseck &c. Verùm ab Hispanorum è Belgio mox translatorum præsidiis Bonnâ occupatâ, Gebhardus pulsus, Romæ simulque Coloniae est exautoratus, Pontifice Gregorio XIII. sententiam dicente an. 1583. unde